



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi Augustinus Europaeus  
Perperam Dictus**

**Wavre, Philippus van**

**Antverpiae, 1709**

Sect. I. Quid sit sufficiens & quotuplex.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39351**

## CAPUT III.

*De Iustorum volentium & conantium  
imperfectè potestate seu gratia  
sufficienti Thomisticae.*

**M**Ultum juvabit ad Jansenianam Præceptorum impossibilitatem refutandam si ea, quæ justos conantes non deserit Præcepta servandi potestas remota, sufficiens esse probetur, licet ad opus reipsâ perficiendum efficax gratia quæ fortē voluntatem tribuat, necessaria adstruatur.

## SECTIO PRIMA.

*Quid sit sufficiens, & quotuplex?*

**S**ufficiens generatim dicitur id præter quod non requiritur aliud; & dividitur in id quod est sufficiens in certo genere tantum, & illud quod dicitur absolute sufficiens.

*Sufficiens in certo genere* est, cum nihil aliud ex isto genere requiritur ad id, cuius respectu dicitur sufficiens. Istò modò dicitur panis sufficiens ad conservationem vitæ, non quia aliud ad conservationem vitæ non requiritur, sed quia nihil aliud requiritur absolute in genere cibi. Sic sufficiens lumen dicitur ad videndum, cum nullum aliud lumen requiritur, et si præterea sanitas requiritur & multa alia.

*Sufficiens autem absolute* est, cum nihil omnino aliud requiritur. Sic solis præsentia sufficit ad illuminandam terram, quia nihil aliud requiritur.

Hinc concludit Arnaldus: *Has notiones si ad gratiam transtuleris, primo liquebit, cum gratia dici-*

## DE PROPOSITIONE I. 249

dicitur sufficiens, vel ad posse vel ad agere, id in- Diff. 3. de telligendum in genere gratia, & significari præter Gra. eff. a. 8. illam gratiam, quam sufficientem dicimus, nullam aliam necessariam esse vel ad potestatem agendi, vel ad re ipsa agendum. Ergo si gratia sufficiens comparetur cum ipsa actione, vel motu voluntatis, nulla est gratia verè sufficiens præter efficacem; quia nulla est gratia nisi efficax, de qua dici possit, nullam aliam præter ipsam ad re ipsa agendum requiri.

Si comparetur Gratia sufficiens non cum ipsa actione, sed cum sola interna agendi potestate, sic præter gratiam efficacem, est alia gratia, quæ trahit potestatem internam agendi, & quæ hoc respectu dicitur sufficiens, quia nulla alia gratia requiritur ad tribuendam virtutem & potentiam internam licet alia requiratur ad movendam & applicandam ad actum potentiam. Sufficit ergo illa gratia ad posse, non sufficit ad AGERE; sive dat omnia necessaria, ut possis virtute interna, non dat omnia necessaria, ut agas: quemadmodum sanitas oculi est principium sufficiens, ut possis videre, non tamen sufficit, ut actu videas, quia lumen est necessarium.

Hactenus Arnaldus ille sapientissimus, quem Janseniani, & ipse qui sufficientem illam gratiam inimicè explodit, Notarum redargutor fatetur Magnum, ac fure optimo pro sapientia sua & magnis in Ecclesiam meritis magnum Arnaldum vocat. Sufficientem ad posse Gratiam hic magnus Arnaldus Justis conantibus & volentibus, excepto nemine vendicat, & omnibus non modò orantibus, sed & orare conantibus; atque hoc paetò à Jansenianâ primâ, quam astierit id inficias ire, se dissidere prætendit in propositione suâ, quâ dixerat Petro neganti Christum defuisse Gratiam sine quâ nihil possumus; quam intellectam cupit de Gratiâ efficaci ad actum, non ad potestatem necessariâ.

SEC-